

102

29-27

D-12582

R 10.799

# CONCLVSIONES THEOLOGICAE

Aduerſus tres priores, quæ nomine Sorbonicæ facultatis  
circunferuntur Propoſitiones  
DE SVMMI PONTIFICIS AVCTORITATE.


REVERENDISSIMO PATRI

## FR. ANTONIO DE MONROY

TOTIVS ORDINIS PRÆDICATORVM  
Generali Magiſtro.

A REV. PATRE FR. LAVRENTIO MARIA PISANO  
in Conventu S. Vincentij Thermarum Sacræ Theologiæ Lectore  
publico expoſita certamini.

*Ms. Bibl. de la Comp.  
de St. Vincent de Sarriago  
Ms. B. D.  
Patri Antonio Monroy  
Mag. Comp.*



Neapoli, ex Typographia Antonij Gramignano. 1682.

*Superiorum Licentia.*

# THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES THE FIRST

BY

JOHN BURNET

OF THE UNIVERSITY OF OXFORD

IN TWO VOLUMES


VOLUME THE SECOND

OXFORD: PRINTED BY R. CLAY AND COMPANY, LTD.

1910

BY APPOINTMENT TO HER MAJESTY THE QUEEN

PRINTERS IN ORDINARY TO HER MAJESTY



Printed and Published by R. CLAY AND COMPANY, LTD.,  
BUNGAY, SUFFOLK.



let, cœtum satis apertè video . At quamquam vnici talenti  
in terram inutiliter absconditi rationem reddere pertimesco.  
Stimulum cæteris forsan adijciam, vt ad maiora, quæ va-  
lent, sublimiter euolent . Totum quod redolet libellus , non-  
nisi ab Angelico, & perenni fonte deprompsi, meum nonnisi  
laborem in hauriendo hanc aquam adhibui. O quàm admi-  
randum , potius Propheticum vaticinium , quam elogium,  
in Angelici Doctõris encomium protulit Beatus Pius V. dum  
inquit: factum est omnipotentis Dei Prouidentia, vt Ange-  
lici Doctõris vi, & veritate doctrine , qua Apostolicam  
Ecclesiam, multis confutatis erroribus illustrauit , ex eo tẽ-  
pore quo cœlestibus ciuibus adscriptus fuit, multæ quæ dein-  
ceps exorta sunt hæses, confusa, & conuicta dissiparentur.  
O fœlix omen ! ò Dominicana Religionis immarcesci-  
bile thesaurũ ! Hæc igitur licet exigua doctrine pocula, ad  
mare tuæ Sapientie dũ afferre nequeo flumina , non abs re  
debita censui: maiora, tua auspicante Benignitate, Numi-  
nis fauente Clementia, ingenij præstiturus monumenta. Ti-  
bi inquam ò Dominicani Zodiaci supremum Iubar , sub  
cuius pastorali zelo fœlicitatis luce potiri gloriatur Domini-  
cum germen, vt ceteros dignitate, ita & scientia præcellis,  
tuorum debentur Filiorum, vt à tuis deriuata radijs, scin-  
tille: nam ad mare, vnde exeunt flumina, reuertuntur.  
Obsequentiſſimi igitur Filij deuotum, obsecro, excipias af-  
fectum, suscipias munus , dum tibi se totum deuouet, ac in  
genua procumbens, faustam per secula precatur fœlicita-  
tem.

Fr. Laurentius Maria Pisano Ord. Prædic.

Sen.

5

SENTENTIÆ FACULTATIS SORBONICÆ  
Clero Gallicano Parisijs congregato propo-  
sitæ, ab eoque firmatæ.

- 1 **N**on esse Doctrinam facultatis Summum Pontificem aliquam in temporalibus Regis Christianissimi auctoritatem habere; immò obstitisse facultatem ijs etiam, qui indirectam tantummodò illam auctoritatem esse voluerunt.
- 2 Esse doctrinam facultatis quod Rex Christianissimus nullum omninò agnoscit, nec habet in temporalibus Superiorem præter Deum, eamque esse antiquam doctrinam, à qua nunquam Facultas est recessura.
- 3 Doctrinam Facultatis esse, quod subditi Fidei, & obedientiæ Regi Christianissimo ita debent, vt ab ijs nullo prætextu dispensari possint.

## CONCLUSIONES PREAMBVLÆ.

1



Ominium rerum temporalium potest sumi bifariam, vno modo quantum ad earum naturam, vt scilicet naturæ illarum, tubijciantur homini; & hoc modo homo non habet dominium rerum temporalium: Dominus enim, vt ait Ambr. lib. 1. de Fide cap. 1. tom.

2. nomen est potestatis. Constat autem hominem super naturas rerum nullam habere potestatem, cum non possit earum naturas immutare: sed soli Deo huiusmodi dominium competit, iuxta illud Ps. 23. Domini est terra, & plenitudo eius. Alio modo potest considerari huiusmodi dominium quantum ad vsum ipsarum: & sic homo habet dominium ipsarum rerum temporalium, quia ipsis potest vti tamquam propter se factis. Quod expressit Deus Gen. 1. vbi de homine dixit: & præsit piscibus maris, volatilibus cœli, & bestijs terræ. Ita colligitur ex D. Th. 2. 2. q. 66. art. 1.

2. Rursus ex eodem D. Th. loc. cit. art. 2. colligitur hoc dominium trifariam homini conuenire posse; vel naturaliter, vel ex iure gentium, vel ex aliquo iure positiuo; secundum quod diuersimodè hoc dominium accipi potest; nam hoc dominium vel sumitur secundum quod comparatur ad hominem absolute, & non ad talem, vel talem hominem; vel sumitur secundum quod aliquid est proprium vnius, & aliquid alterius indeterminate; vel secundum quod determinatè hoc est vnius, & illud alterius. primo modo competit homini dominium naturaliter, vt probat Angelicus art. 1. q. cit. quia cum homo sit præditus ratione, & voluntate; & res temporales sint imperfectiores homine, & imperfectiora sint propter perfectiora, hinc est quod secundum suam naturam ei conuenit vsus rerum temporalium: qua ratione etiam vtiuit Philosophus 1. Polit. cap. 5. Dominium secundo modo, vt scilicet res diuisam ab hominibus possideantur, est à iure gentium, hoc permittente iure naturali, quod nõ vetat

vetat diuisionem rerū, licet ipsi attribuatur comunitas earum; quia secundum Ius naturale non est distinctio possessionum, sed ipsi superadditum per adinventionem rationis humanæ: vnde potest dici quod sit hoc dominium de iure naturali negatiuè: quia, vt explicat Eminentissimus Caietanus, ius naturale non dicitur omnia esse communia absolute, & extrà casus; aliàs nõ liceret habere proprium: sed non instituit proprietates rerum. Tertia dominij ratio, vt scilicet aliquid sit determinatè appropriatum huic, & aliud alteri est à iure positiuo, quia antequam hoc appropriaretur huic, & illud alteri, poterat aliter fieri: & ius positiuum definitur 5. Ethic. quod sit id quod à principio nihil differt.

3 Pariformiter ad dominiū hominis supra res temporales, ita & distingui potest dominium hominum super homines; videlicet in naturale, ex iure gentium, & de iure positiuo. Quod enim inter homines sit qui præsit est de iure naturæ; quod probat Angelicus Doctor in opusc. de regimine Princ. lib. 1. cap. 1. fusè: quod breuiter sic probari potest. Naturale est homini vt sit animal sociale, & politicum in multitudine viuens, magis quàm omnia alia animalia; sed in omni multitudine oportet esse aliquem, qui regat: ergo naturale est homines ab aliquo regi. Maior patet ex hoc, quia vnus homo sibi quantum ad omnia sufficere non potest, scilicet quantum ad cibum, tegumentum, medicamina &c. vnde oportet vt vnus ab alio adiuetur, vt vnus in vno, alter in alio quærendo humanæ vitæ subsidio occupetur. Minor probatur, quia multitudo est ordinata ad aliquè finem comunem; sed ad hoc vt perueniat ad hunc finem oportet ab aliquo dirigi: ergo in omni multitudine oportet esse aliquè qui regat. Maior patet, nam ad hoc vniuntur. Minor verò probatur, quia multis existentibus hominibus, & vnoquoq; quod est sibi congruum prouidente, multi in diuersos dispergerentur fines: & si omnium fines in vnū non ordinentur per aliquem, multitudo dissiparetur; vt patet de naui, qui vno rectore ad portum dirigitur; de corpore in quo nisi vis regitiua comunis, quæ ad bo-

num comune omnium membrorum intēderet, reperiretur, defueret: vndè Salomon ait: vbi non est gubernator dissipabitur populus. Secundò probatur eadē minor quia nō est idem proprium ac comune; quia secundū propria differunt; secundū comune verò vniuntur; sed diuerforū diuersæ sunt causæ: ergo diuersas causas oportet assignare respectu finis proprii cuiusque hominis, & finis comunis totius multitudinis: igitur præter singulos homines qui proprijs finibus vacāt, necesse est dari aliquē qui eos ad finem comunem moueat. Quod patet in corporibus, quorum vniuersitas per primum corpus, scilicet coeleste, ordine quodam Diuinæ Providentiæ regitur: & in alijs exemplis à D. Th. adductis.

Hoc igitur supposito: quod diuinæ sint regiones, & diuisa dominia, est de iure gentium, & ab antiquo ad nos vsquē perueniens. Quod verò ab hoc, & non ab alio regatur, ex iure positiuo dependet: vel quia ab initio huc ciuitates edificauit; vel iure electionis, vel consensus populi; vel iure hereditario; vel matrimonij causa; vel iustæ acquisitionis titulo &c.

4. Differētia tamen est inter dominium hominū super bona temporalia, & hominum super homines: nā homo tēporalibus vti potest quomodo cūq; voluerit, & ad suam vtilitatem; homines verò nequaquā hoc modo vti possunt hominibus (loquendo respectu liberorum vt contra distinguuntur à mancipijs) sed ad bonū comune multitudinis: hinc eos spoliare bonis temporalibus nequeūt ob solū beneplacitum: sed solū ratione delicti, & iuxta formam, & præscriptū legum. De quo fusè D. Th. lib. 3. de Regimine cap. 11. Possunt tamen census, & tributa percipere; quia de iure naturæ est vt vnusquisq; de suo labore reportet mercedem, quia nemo militat stipendijs suis, vt probat Apostolus Epist. 1. ad Chor. Valdè idē Apostolus cū probasset in Epist. ad Rom. omne dominium esse à Deo, tandem persuadet sub iuris, vt dominis retribuatur pro labore; inquit enim: ideo & tributa præstatis; ministri enim Dei sunt, in hoc ipā seruiētes. Et præter hoc potest etiā exigere quæ sunt necessaria pro defensione Regni,

gni, & pro quacumq; alia causa pertinente ad bonum eorumque Regni: cuius rationem assignat D. Th. ibid; quia cū humana societas sit de iure naturæ, omnia necessaria ad eam conservacionem dictæ societatis erunt de iure naturæ. Igitur ad intentū deuenientes: Reges, & Principes, & quicumq; potestatem habentes dominium, quod est de iure naturæ, vt sibi appropriatū de iure positiuo obtinent. Hinc conclusiones deducuntur contra prædictas Sorbonicæ facultatis assertiones.

### CONCLVSIONES DECISIVÆ.

5. **D**ico primò: certū est Summum Pontificem in aliquas determinatas Prouincias de iure positiuo habere immediatum dominium: neq; hoc dominium repugnat cum Principatu spirituali, vt impiè assertit Caluinus. Prima pars patet ex dictis, nam determinatio dominij nō est de iure naturæ, sed de iure positiuo. Neq; hoc Sūmo Pontifici conuenit de iure Diuino: quia Christus à quo Summi. Pōt. suam deriuat potestatem; quāquāto fuerit vniuersalis Dominus totius Orbis (vt infra ostēdetur), at tamen quantum ad executionem, nullius Regionis fuit Dominus, sed pauperem vitam duxit. Vnde Nic. 111. cap. Exijt, de verb. signif. in 6. definijt Christū doctis verbo, & exemplo paupertatem religiosorū, quæ caret omni dominio. Vbi aduerte carētiā dominij et tribu, nō quia dominium ei non competeret; sed quia dominij executione nō vtes est. Et rationem huiusmodi humilitatis Christi assignat S. T. in opusc. de regim. Princ. quia principalis eius finis erat institutio vitæ spiritualis: Vnde de iure Diuino dominium immediatum in aliquam determinatam Prouinciam Summ. Pont. ex Christi institutione conuenire nequit.

Optimè autem, & iustè possidet aliquas Prouincias, nec est possessio mero latrocinio occupata, vt voluit nefarius Calu: nā hoc ei conuenit ex concessione legitima facta ab habētibus potestatem; cuiusmodi fuisse Constant. Pipinus Rex Francorū,

10  
qui Rauēnam, totamq; Pentapolim SS. Apostolis Petro, & Paulo tradidit; vt scribit Ado in Chron. anni 1227. & in Decret. Grat. dist. 63. extat cōstitutio Ludouici r. filij Caroli Magni donantis, & confirmantis donatione sprædecessorū; aliaq; donationes relatæ à Leone Episc. Hostien. lib. 1. Chron. Cassinēsis legantur. Vnde vt impij apud omnes habentur Aistulphus Rex Longobard. Henr. IV. & V. Otho IV. Frid. r. & r̄. qui hanc possessionem conati sunt perturbare. & S. Bern. vetemēter increpat Rom. quia ab Eugenio Papa discessissent, eo quod gubernari volebant per Consules more veteri.

Quò ad 2. partem ex Sacra Scrip. cōstat in lege naturæ Melchisedech fuisse Reg. & Pont. Gen. 14. Hebr. 7. in lege scripta Moyses, fuit simul Sūm. Princeps, temporalis, & Sūm. Pont. vnde cōstat ex lib. Ex. & Leuit. vnde Philo lib. 3. concludit vitam Moysis dicens: hæc est vita, hic exitus Moysis Regis, Legislatōris, Pontificis, Prophetæ. idemq; asserit Greg. Nazianz. in orat. ad Greg. Nil.

Insuper Heli fuit Sūm. Pont. & Rex Politicus annis 40. & Machabei vsq; ad Herodem fūnt Pontifices, & Dices politici fuerunt, vt constat ex lib. Machab. vnde patet nec Iusi Disiūto repugnare; nec esse inter se inuicem impossibilia. vide Bellarm. lib. 5. de Rom. Pont. cap. 9.

6 Dico secundò: si nomine auctoritatis in temporalibus Regis Christianissimi, intelligatur Sūmum Pontificem posse prohibito diuitijs eius, tam naturalibus, quàm artificialibus, vt earū Dominum vti; certum est huiusmodi auctoritatem non habere. ex pluribus locis D. Thomæ in opusc. cit. deducitur.

Probat̄ primò ex ijs quæ supradiximus: nam Reges, & domini hanc auctoritatem non habent in diuitias suorum subditorum (si auctoritate modo debita vtantur) ergo & Sūm. Pontifex nec huiusmodi auctoritatem habet in ipsos Reges. Probat̄ur consequentia, non enim magis Reges Sūmo Pontifici in huiusmodi subduntur, quàm sui subditi Regibus: nec maiorem auctoritatem Sūm. Pontifex habet excedētem limites iusti-  
iustum

iustum autem est non ad suum convertere commodum regimen, sed ad utilitatem subditorum: unde contrarium facientibus au-  
natur Dominus per Ezech: vbi pastoribus Israel qui pascunt  
semetipfos: nonne greges pascuntur a pastoribus? &c.

Secundo quia Summus Pontifex praedictam auctoritatem non  
habet in sibi subditos; videlicet in degentes in regionibus sibi  
immediate subiectis; scilicet vtendire oru diuitijs, & bonis tem-  
poralibus, pro libito: ergo multo minus hanc auctoritatem ha-  
bet in Reges. Patet consequentia; quia non habere potest ma-  
iorem auctoritatem in Reges, quam in sibi subditos.

7 Dico tertio: si nomine auctoritatis in temporalibus; intel-  
ligatur dominium temporale quod habet Rex Christianissimus  
in sibi subditos, sic Summus Pontifex habet auctoritatem in tale  
temporale dominium; non quidem immediate exercendam in  
subditos Regis, sed mediante ipso Rege, supra quem habet im-  
mediatam auctoritatem. Ita Ioannes de Neapoli Ord. Praed.  
Doctor Parisiensis in questionibus Parisijs disputatis q. 39.

Probatum quod ad primam partem; quia, vt sequenti conclu-  
sione probabo, Summus Pontifex habet supremum dominium supra  
omnes Reges; ita vt ordine Hierarchico sit eorum superior; quod  
etiã dicitur in Decr. distinc. 22. in cap. Omnis; vbi habetur quod  
Christus Beato Petro a ternae vitae Clauigero, terreni simul, &  
coelestis imperij iura commisit: ergo habet auctoritatem supra  
dominium temporale, quod ipsi habent supra suos subditos.

Quod ad secundam partem probatur: ordo Hierarchicus ex-  
poscit vt inferiora a superioribus praestentur: mediantibus me-  
dijs, vt patet de Anima mediantibus organis corporeis exercere  
actiones corporeas. Tu etiam quia hoc congruis auctoritati Su-  
mi Pontificis, ne militans Deo implicet se negotijs saecularibus:  
vt etiam dicitur in Decr. distinc. 18. cap. Quoniam idem.

Vtraque pars conclusionis eleganter docetur a D. Bernardo  
lib. 4. de consideratione, vbi ad Eugenium Papam loquens; sic ait:  
Quid tu denuo vsurpare gladium tentes; quem semel iussus es po-  
nere in vaginam? quem tamen qui tu negat, non satis mihi vi-  
detur

detur attendere verbum Domini dicentis: conuerte gladiū tuū in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euagmā dus: alioquin si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis; ecce duo gladij hic, non respondisset dominus satis est, sed nimis est. Vterq; ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exercendus est; ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis & iussum Imperatoris.

§ Dico quartò: Summus Pontifex habet primum locū inter omnes Principes Christianos, eiq; conuenit suprema auctoritas in temporalibus; ita vt ordine Hierarchico sit superior cunctis Regibus; hinc deducitur Regem Christianissimū, præter Deum debere agnoscere Summum Pontificem tanquam immediatum Superiorem in temporalibus.

Probatur prima pars auctoritate Conc. Nic. primi, in quo præsentè Constantino primatus tribuitur Sūmo Pontifici in primis canonibus, quos instituit. iura etiam sequentia idem confirmant; hoc idē Carolus Magnus confitetur, vt citat. D. Th. opuscul. lib. 3. cap. 19. Item à Louiniano Imperatore, qui pacē Ecclesiæ restituit post mortem Iuliani vsq; ad Carolum Magnum omnes ita reuerentes, & obediētes fuere Romanæ Ecclesiæ tanquā ipsa principatū teneret, suè respectu spiritualis, siuè temporalis dominij. Vnde Gelasius Papa Anastasio Imperatori scripsit: Imperatorem iudicio Papæ dependere, & non e contrario. Valentinianus quoq; Imperator hoc ipsum confessus est, præcipuè in hoc excelluit Iustinianus Imperator, vt constat ex legibus quas condidit in fauorem Ecclesiastici status: & ex Epistola quam post celebratū Conc. Constantinop. per totum orbem terrarum direxit; in qua institutis Ecclesiæ se subiecit.

Pro cuius maiori soliditate verba Conc. Nic. can. 39. ponderentur, sic dicētia: & vt à principio Petrus Christi Vicarius Religioni Ecclesijs, cæterisq; ad Christum rebus pertinētib; præfectus (obserua vsq; ad hanc clausulam potestatem spirituales perstringi; nec ulterius esset progrediendū, dū per ly, cæterisq;

Sec.

&c. cuncta ad hunc ordinē pertinentia satis declarentur : sequitur tamen, verba sequentia adijciendō (Principum Christianorū Provinciarum, & omniū Gentium dominus, & Rector erat; ita ille cuius principatus Romæ est Petro similis, & auctoritate par, Patriarcharum omniū Dominatum, & Principatū obtinet : Huic sanctioni si quis repugnauerit, & obistere ausus fuerit, totius Synodi decreto anathemati subijciatur: Vndè D. Th. loc. cit. cap. 17. audet afferere iam definitū esse in Nicœna Synodo Romanā Ecclesiā Principatū tenere, siuè respectu spiritualis, siuè temporalis Domini.

Pro probatione secundæ partis est norandū quod Christus fuit vniuersalis dominus totius Orbis, etiā quātū ad temporale regimē; licet directè ad spirituale vitam suam ordinauerit principatū. Quod constat primò ex eo quod ipse fuit Sacerdos nō secundū ordinem Aaron, sed secundū ordinem Melchisedech, qui fuit simul Rex, & Sacerdos: secundò patet ex verbis Gabr. ad Virginē Luc. 1: & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris eius, & regnabit in domo Iacob (idest super totā Ecclesiam, vt dicit Beda) in aternū, & Regni eius non erit finis Non solum in quantū Deus est, sed etiam in quantū homo, vt ait Diuus Gregorius. Patet etiam ex Isaiā, qui de Ier. bens Christum quātū ad temporalem virtutē, ait: paruulus natus est nobis, & factus est Principatus super humerum eius &c. Et ex pluribus alijs Scripturæ locis: vndè notat D. Th. quod postquā natus est Christus, Octauianus Augustus qui totius Orbis Imperator erat, licet nesciret quid obtineret, natū Dei ductus, (sicut & Caiphas) mandauit ne quis de Romano Populo, Dominū ipsum vocaret; quia ipse vices gerebat Christū, qui erat verus Dominus. Et D. Augustinus in l. b. d. consensu Euangelistarum obseruat, quod quia Christus futurus erat Rex, & Sacerdos, ideò Diuina Providentia factum est vt Euangelistæ qui Christum quātū ad humanam naturā assumptrā notificare sumptērunt, hoc ordine eorū. Euāgelia inceperunt, quia Mathæus incepit a semine Regali, dicens: Liber Generationis Iesu Christi Filij David. Sed Lucas à sacramento Sacerdotali, dicens: fuit in diebus Herodis Regis Iudeæ Sacerdos quidam &c. Vndè ipsemet Saluator post resurrectionem suam

suam discipulis dixit: data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: quod quidem ad humanitatē oportet referre secundum Augustinum, & Hieronymum. Et licet interrogatus à Pilato respōderit: Regnum meū non est de hoc mundo; hoc idē, vt ait Sanctus Thomas, quia directē ad spiritualem vitam suam ordinauit principatum. Hoc igitur supposito

Probatur primo, quia Christus omnem potestatem sibi traditam (præter potestatem excellentiæ) suo comunicauit Vicario, scilicet D. Petro, & successoribus eius, cum ei dixit: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: vbi obseruandū est quod ei imponitur Petri nomen à petra quæ est Christus, vt exponit Hilarius, & Augustinus, vt secundum quamdam participationem nomen acquirat, & potestatem, & audire mereatur: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: quasi totum dominium inter fideles ex Petro dependeat, & eius successoribus: ergo sicut Christus fuit simul Rex, & Sacerdos vtramque potestatem suo Vicario comunicauit: vnde Regale Sacerdotium deriuatur.

Cōfirmatur, quia de Imperio Christi dicitur ab Isaia: multiplicabitur eius Imperium, & pacis non erit finis. Et in verbis Gabr. habetur: & Regni eius non erit finis: quod non posset legitimè verificari, si postquam Dominus ascendit in cœlum, non reliquisset in terris sui domini successorem; quod non nisi Vicario suo contulit: iam enim suum dominium quo regnet in terris finitum fuisset. & sicut in illis verbis sermo est de dominio temporali, ita & hoc oportet perseuerare in Vicario suo vsq; ad finem mundi, & non solū spirituale. Tum etiam quia corporale ex spiritali dependet, & temporale ex perpetuo; vt patet de corpore quod regitur ab Anima, & de corporibus cœlestibus, quæ mouentur ab Intelligentijs: ergo & Principum temporale dominium à dominio spiritali Summi Pontificis dependet.

Confirmatur ampliùs, & prædicta responsio rejicitur ex visione prima Nabuchodonosor videntis statuam, cuius caput aureum; pectus & brachia argentea; venter, & fœmur area; tibiæ verò ferreæ: pedum autem aliqua pars ferrea, aliqua fictilis: sed dum ipsam statuam

etiam contemplatur abscissus est lapis de mōte sine manibus, & omnia prædicta contriuit: hic autem lapis factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram, quam quidē visionem Daniel Propheeta secundū Aug. & Hieron. ad quatuor Monarchias adaptat; videlicet Assiriorū, Medorum, & Persarū; Græcorum; & Romanorū. quas Christus contriuit, & impleuit vniuersam terrā vt vniuersalis Dominus totius Orbis: vndē subdit Propheeta; sed post hæc suscitabit Dominus Deus cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, & Regnum eius populo alteri non tradetur, comminuetq; vniuersa Regna; & ipsum stabit in æternum. Vbi in primis obseruandū est sermōnē esse de temporali dominio succedente loco præcedentium; alia illa non remanerent comminuta. Secundò quod ipsum stabit in æternum; quod verificari nō posset nisi Regnum Christi in terris in suo Vicario, & Successoribus remansisset: iuxta quod cōgruit id quod dixit Dominus: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Nec potest intelligi de alio Rege quā de Summo Pontifice; cum alia Regna non per totum Orbem sint dilatata; nec in æternū stabilia experiētia cōprobauerit: ergo in Summo Pontifice est suprema auctoritas etiam in temporalibus super omnes Reges.

Probat̄ur secundò auctoritatibus Sanctorum Patrum; & primò iam patet ex D. Bern. & ex Hieron. & Aug. præter quos Hago de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis p. 2. c. 4. ait: spiritualis potestas terrenam potestatem habet instituere vt sit, & iudicare, & corrigere si bona non fuerit; ipsa verò primò à Deo instituta est, & cū deuiat, à solo Deo corrigi, & iudicari potest, sicut scriptum est per Apostolum: spiritualis homo iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.

Item S. Leo Pāpa serm. 1. in natali Apostolorum Petri, & Pauli, sic populum Romanum alloquitur; isti sunt quite ad hanc gloriam prouenerunt, vt gens facta, populus electus, ciuitas Sacerdotalis, & Regia, per lacram B. Petri sedem caput Orbis effecta, latius præfideres Religione Diuina, quā dominatione terrena. Nec valet hæc verba referre ad solam spiritualem potestatem propter hoc quod dicitur (Religione Diuina, quā dominatione terrena.) Nam

hæc

hæc ita sunt intelligenda vt non contraponatur auctoritas spiritua-  
lis temporalis: sed vt assignetur origo vnde ortum habuit domina-  
tio, scilicet à Religione Diuina, vbi antea ortum habuerat à domi-  
natione terrena: non tamen auctoritas temporalis quò ad effectū  
excluditur, cum antea præmissum sit: ciuitas Sacerdotalis, & Regia.  
Et inde sequitur: quamuis enim multis aucta victorijs, ius Imperij  
tui terra, mariq; protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus la-  
bor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit. Quod planè ve-  
rum non esset, si antea totius ferè Orbis temporale dominium ha-  
buerit, modò non haberet.

His D. Thomas accedit qui fusè, & non semel, in opusc. cit. hanc  
conclusionē docet: & deniq; solemnis Doct̃or Parisiensis Fr. Ioan-  
nes de Neapoli Ord. Præd. qui hanc quæstionē disputauit contra  
Gulielmum OKam, & Michaelē de Cesenna, qui contra Ioannē  
XXII. eiusq; auctoritatem insurrexerunt; à quo hæretici sunt de-  
clarati; vt constat ex Tritemio in lib de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Probat̃ur denique conclusio ratione naturali adducta à D. Th.  
opusc. cit. lib. 1. cap. 14. sic: Ille ad quē pertinet potestas dirigendi  
in aliquem finē per se subordinatū vltiori fini, ordine Hierarchi-  
co, & graduati est inferior, & subditus in suamet potestate directi-  
ua ei ad quem pertinet potestas dirigendi in illum finem vltiorē,  
sed ad Principes temporales pertinet dirigere populū sibi subiectū  
ad finem quemdam per se subordinatū vltiori fini: ergo sunt in-  
feriores, & subditi in suamet potestate, & dominio ei qui habet po-  
testatem dirigendi in finem vltiorem superiorem: sed ille ad quē  
pertinet potestas dirigendi in finē vltiorem ei in quem dirigunt  
Principes temporales est Summus Pontifex vt Vicarius Christi: er-  
go Reges, & Principes sunt inferiores, & subditi Summo Pontifici  
in ipsamet potestate directiua, seū dominio tēporali in sibi subditos

Maior patet primò ex differentia quæ est inter fines per se sub-  
ordinatos, & non ad inuicē subordinatos; isti enim cū sint in diuer-  
uerso genere, licet vnus possit esse alio perfectior, non tamen vnus  
alteri subiectus; illi verò sunt ad inuicem subiecti in ratione causæ  
finalis; quia finis vt ad vltiorem finem ordinatur habet rationem

medij,

medij, & consequenter est subordinatus vltiori fini in genere causæ finalis: & quia ita est ordo agentium, sicut est ordo finium; sicut fines sunt inter se subordinati, ita & agentes; & qui præfunt finibus subordinatis vltiori fini, debent ita subdi agenti qui præest illi vltiori fini, quemadmodum finis cui præfunt, illi vltiori fini subijcitur; aliàs iste non apraret finem suum eo modo quo oportet, vt ad finem vltiorem perducatur, si vteretur sua potestate non regulata ab eo qui præest vltiori fini, cuius est cognoscere, & dirigere media modo proportionato ad finem; cum superioris sit inferiora regere: ergo quò ad omnes partes vera est maior.

Secundo declaratur maior exemplis: nam faber qui facit arma licet sit in diuerso genere à militari, quia tamen opus quod ipse habet pro fine subordinatur fini militaris, ipse etiam illi subordinatur: & hic imperat ei qualiter arma fabricet. Similiter frenfactiuæ imperat æquestris; quod est subdi in ipsamet potestate quam habet supra suum finem. Idemq; inducti iudè per singula discurrendo patet.

Minor probatur quia finis ad quem Reges multitudinè ordinant, est vt benè, & virtuosè viuant, & vt foeliciter quò ad temporalia viuant: omnes enim sub vna multitudine contenti sub eisdè legibus, & eodem regimine diriguntur ad benè viuendum; sed virtuosa vita, & terrena foelicitas populi Christiani est per se ordinata ad supernaturalem Beatitudinem acquirendam, quæ est vltimus finis hominis: ergo finis ad quem Principes temporales dirigunt populum sibi subiectum est per se ordinatus ad vltiorem finem.

Minor subsumpta probatur. finis iste vltior, scilicet Beatitudo, transcendit limites naturæ, quia, vt ait Apostolus: gratia Dei vita æterna: ergo non pertinet ad Reges ad hunc finem dirigere; siquidem consequi non potest virtute humana, quam solam habent Reges; sed ad illum qui simul est homo, & Deus, cū hoc pertineat ad regimen diuinum; sed hoc regimen Christus reliquit suo Vicario D. Petro, cum dixit: pasce agnos meos, pasce oues meas; & iterum cum ei dixit: tibi dabo Clauas Regni coelorum &c. Et similiter successoribus eius Romanis Pontificibus, in quibus deriuatur potestas Petro à Christo tradita, vt fide tenemus: ergo Summus Pontifex habet

habet potestatem dirigendi in finem vltiorem ei in quem dirigunt Principes temporales : & consequenter præest ipsis etiam in illa potestate directiua, quam ipsi habent in proprium finem.

Ex quibus intelliges dominium Summi Pontificis supra Reges esse ordine Hierarchico supremum & cæteris superiorem, quia præest fini supremo, & ad vltiorem finem non ordinabili: & sicut ordo Hierarchicus exposcit, vt superior non immediatè exerceat ea quibus præsunt inferiores, sed per eos, ipsis imponendo qualiter, & quomodo: ita & Summus Pontifex per ipsosmet Reges administrare debet id quod fini eorum congruit, vt conclusione secunda dictum est: & sicut qui præest vltiori fini non imperat ei qui præest fini inferiori, nisi vt regulet ad hoc vt congruat, vel moderetur si deniat à fine vltiori: ita & Summus Pontifex habet dominium supra temporale Regum in quantum à fine vitæ æternæ deniat, vt regulet, & moderetur.

Hinc patet in re conuenire cum Ioann. Turrecremata lib. 2. summæ cap. 115. Caiet. in Apol. cap. 13. ad 8. Victoria, Dominico à Soto, Petro de Palude, & alijs asserentibus Summ. Pont. indirectam habere potestatem in temporalibus: hoc enim modo se explicant. attamen quia nomen indirecti potest esse equiuocum; & sumi prout significat per accidens; cum tamen per se comperat spiritali potestati præesse temporali, tanquam sibi per se subordinatæ, eo non videtur vtendum. Neque tamen intendimus adeò potestatem habere Summ. Pont. vt Reges sint eius Vicarij; vel eius feudatarij; vel non habere supremam potestatem condendi leges, cæteraque faciendi, independenter ab eius consensu: nam ipsi à Deo, mediante iure gentium, & positiuo, immediatè habent potestatem, & regna: sed iure Diuino, & naturali esse subordinatam, vt possit moderari, regulari, & corrigi ab eo qui præest fini superiori, potestate sibi à Deo tradita, vt explicatum est: & hoc importat particula (ordine hierarchico) in conclusione posita. Et etiam hoc modo intelligi volo Christum fuisse Dominum temporalem totius Orbis, in quo etiam Bellarm. concordat.

9 Dico quintò Summum Pontificem vti posse hac auctoritate  
in di-

in dispensando subditos Principum temporalium à iuramento fidelitatis, & obediencie; & maximè subditos fidei, & obediencie Regis Christianissimi; in duobus casibus, vel ratione delicti redundantis in detrimentum totius multitudinis vt ad Beatitude ordinatæ; vel propter totius Ecclesiæ, & Fidei utilitatem. Ita D. Thomas opusc. cit. lib. 3. cap. 19.

Probatur primâ pars, quia talis auctoritas consequitur ad dominium, quod supra probauimus habere supra ipsum dominium temporale Principum; cum limitatione quam postremis verbis adiecimus: ergo hac auctoritate vti potest. Probatur antecedens, quia alias non posset facere vt media seu fines inferiores rectè conducerent ad finem cui debent deseruire, & cui ipse præest.

Secundo probatur, quia ita experientia compertum est Zachariam Papam deposuisse Regem Francorum, & loco ipsius Pipinum Patrem Caroli Magni suffecisse: item Imperium ab Oriente in Germaniam transfuisse Adrianû; & Carolum Magnum Imperatorem constituisse: itè Innocentius III. Othoni IV. Imperium abstulit &c. Greg. II. Leoni Ichonomacho à se excommunicato vetuit solui vectigalia ab Italis, eumq; multauit parte Imperij. Greg. VII. Henricum IV. Imperatorem deposuit, & alium eligi iussit. Innoc. IV. in Conc. Lugdun. deposuit Frid. II. cap. ad Apost. de sent. & re iudicata in 6. idem Innoc. dedit Regi Lusitanie coadiutorem, qui Regnum administraret, eo quod Regnum, & Religio in discrimine versarentur ob Regis negligentiam vt habetur cap. Grandi. de supplenda neglig. Præl. in 6. Clemens VI. Ludouicum IV. Imperatorem à Ioann. XXII. & Benedicto XII. excommunicatum deposuit. Pighius lib. 5. Hierar. Eccl. cap. 14. & 15. Nec valet cum Hæreticis hæc vt malè facta criminari; nam laudem à plerisque antiquis scriptoribus, commendationem, & approbationem ab vniuerso Orbe promeruere: & vsq; nunc pleraque effectum sortiuntur, vt est Imperium in Germania, & modus electionis. successio Regum Galliarum à Pipino.

Probatur etiam ex eo quod ait Dominus Hieremiæ, cui in persona Vicarij Christi loquutum fuisse interpretantur Sacri Doctores:


res : ecce constitui te super gentes (idest super populos.) & Regna (idest super Dominis, & Regnantibus) vt euellas & destruas, & disperdas, ac dissipas (quod pertinet ad rationem delicti,) & ædifices, & plures (quod pertinet ad Prouidentiam Vicarij Christi pro bono vniuersalis Ecclesiæ):

Quantum verò ad id quod dictum est (& maximè sub litos Fidei, & obedientiæ Regis Christianissimi) patet ex eo quia hodierni Francorum Reges à Pipino, & Carolo Magno, licet per interruptas series procedunt; & eorum iure Regnum obtinent; sed illi ab Ecclesia, & Summo Pontifice collatum est Regnum: ergo & per ipsum met possunt priuari. Patet consequentia, quia vt habetur de regulis Iuris in 6. per causas per quas nascitur res, per easdem dissoluitur.

Argumenta quæ obijci possunt apud Ioannem de Neapoli loc. cit. videri possunt. Alia ex distinctionibus in prædictis conclusionibus appositis facile solvuntur: si quæ alia Doctores oppositi obiecerint, responsionibus paratum inuenerint.

## L A V S D E O.

*Qui Ecclesiam suam ita seruat, vt porta Inferi  
aduersus eam non preualeant.*



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE SANTIAGO



00372615

301

